

*Doc. 7 (Scriptum est iustitiario
Basilicate etc... Quia intelleximus
quod tecta domorum castris nostri...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 7 (Scriptum est iustitiario
Basilicate etc... Quia intelleximus
quod tecta domorum castri nostri...)*

1277-03-12

Scriptum est iustitiario Basilicate etc.

Quia intelleximus quod tecta domorum castri nostri Lacuspensilis recohoperiri indigent et beneplaciti nostri est quod aqua, que olim duci et derivari consuevit in pede eiusdem castri, ibidem duci et derivari debeat, ut ex derivatione huiusmodi in loco ipso solito in quo coadunari consuevit pro usu hospitii nostri et equitaturarum curie nostre. Aqua ad sufficientiam habeatur, fidelitati tue sub pena centum unciarum auri firmiter et expresse precipimus quatenus, facta diligenti et sollempni extimatione per magistros et alios viros fideles et ydoneos expertos in talibus in testimonio puplico sciente et presente castellano eiusdem castri pro quanta quantitate pecunie, tecta ipsa recohoperiri et aqua predicta, ad predictum locum, in pede videlicet ipsius castri duci et derivari poterit, factisque de extimatione ipsa tribus scriptis puplicis consimilibus, continentibus formam presentium, nomina et cognomina extimatorum et quantitatem pecunie pro qua tecta ipsa recohoperiri poterunt et quantitatem etiam pecunie pro qua aqua ipsa ad predictum locum duci et derivari poterit, quorum uno tibi retento alio eidem castellano dimisso, tertium magistris rationalibus magne curie nostre sine mora transmittas. Tecta ipsa in hiis in quibus reparari indigent, presente et sciente castellano predicto decenter et bene recohoperiri facias sine mora nichilominus aquam predictam, sicut extitit hactenus consuetum, per aqueductus per quos derivabatur hactenus duci et derivari facias usque ad pedem dicti castri, ad locum videlicet in quo coadunari consuevit, ut superius est expressum, ut pro usu hospitii nostri et equitaturarum curie nostre ibi aqua sufficiens habeatur, de quacumque fiscali pecunia

et in defectu alterius pecunie curie de pecunia presentis generalis subventionis in tua iurisdictione impositae, que est etc. non obstante etc. Ita tamen quod omnes expense que fient pro recohoperiendis tectis predictis et derivanda et ducenda aqua ipsa ad locum predictum fiant presente et sciente castellano predicto, et nichil inde conscientiam suam lateat, et de expensis ipsis omnibus sicut fient de die in diem fiant duo quaterni consimiles, continentes quantitatem pecunie, que soluta fuerit quibuscumque, nomina recipientium et pro quibus rebus et servitiis et diem et locum solutionis particulariter et distincte. Unus videlicet per te vel statuendum loco tui, de quo tanquam de teipso confidas, cum non sibi set tibi exinde innitatur sigillandus sigillo dicti castellani et alius per eundem castellanum sigillandus tuo in tue rationis tempore de utroque quaterno debita collatio fieri possit. Nichilominus de omnibus que pro predictis solveris recipias ad tui cautelam ydoneas apodixas per te in tuo ratiocinio producendas cautus existens quod tam in extimatione predicta quam in expensis que fient pro predictis tectis recohoperiendis et ducenda et derivanda aqua predicta curiam nostram circumveniri vel decipi in aliquo non contingat. Et si forte non habeantur tot conducti plumbei per quos aqua ipsa duci valeat usque ad pedem ipsius castri, ducatur et derivetur usque ad locum illum ubi huiusmodi conducti plumbei deficiunt, et etiam in antea quantumcumque plus per planitiem usque ad summitatem ipsius castri et ibi coadunetur ut ad opus hospitii nostri et equorum curie nostrae ut dictum est aqua sufficiens habeatur

Datum apud Turrim sancti Herasmi prope Capuam die XII Martii V Ind. (1277).